

TAB. XXVI.

15.

NASVS ab oris figura seu naso valde crasso, nomen sortitus est. Nasum vel Nasutum bene dixeris: et quia labrum seu rostrum superius crassum, finum obtusumque habet, non male Graece Pachyrinchus et σιμόν. Latine Simus vocabitur. Genere Squalo ac Leuciscis fluviatilibus adscribendum esse, et corporis totius figura indicat, et Albertus quoque attestatur Monacho, hoc est, Capitoni fluviatili similem esse inquit, sed tenuiorem, naso valde crasso. Et Gesnerus esse tradit, qui fluviatilibus Barbis hunc piscem comparant, quod ad corporis speciem: aliquos piscibus Erflen vulgo dictis apud Germanos. Ipsi vero specie, squammis et colore Capitonem fluviatilem referre videtur: sed ad eam magnitudinem, inquit, non perveniunt. Lonicus duorum triumve palmorum magnitudine esse ait, et oris formam peculiarem habere. Venter eorum intrinsecus nigerrima membrana ambitur: unde joculari

nomine Germani hunc piscem Scribam cognominant. Os modice deorsum vergit. *Lapidem* habet in capite, teste Alberto. Capiuntur in fluviis et rivis. Libenter enim in rivis ascendunt, inquit idem Gesnerus, in lacum non veniunt, nisi ad initium ejus tantum, praesertim vere. Albertus Danubii piscem esse ait, et aquarum in Danubium influentium. Coeno et spurcitiis vescitur. Caro alba et laxa est, spinulis referta, ut et Capitoni et aliorum multorum fluviatilium, praesertim circa caudam. Verno tempore praefertuntur et pinguescunt. Apud Helvetios tamen Novembri mense laudantur: si modo unquam laudandi sunt. Nam caro eorum semper laxa et insipida est: quamobrem assare eos potius quam elixare coqui solent. In Rheno praestantiores habentur. In libello quodam Germanice vulgato de piscibus, Februario et Martio et cum salices stillant, eos praeferrere legimus. Haec fere Gesnerus.

CAPVT X.

De Gobio fluviatili.

ARTICVLVS I.

De Gobio non capitato.

TAB. XXVI.

16.

Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 27.

Gobio fluviatilis est duplex. Unus non capitatus; alter capitatus. **NON CAPITATI** Dorion apud Athenaeum inter fluviatiles meminit, fortassis et Aristoteles, dum eos in fluviis pinguescere scribit. Mediolanensibus Varira, forte quasi varius. Ubique enim rotundis nigris maculis distinguitur, vocatur Germanis *Kressling*, aliis Leutesser, quod cadaveribus submersis vescatur. A Gesnero ita describitur. Gobio noster, ein Gressling, quem nuper captum in lacu, inspexi, mense Januario ovis gravidus erat: barbatulus, cirris singulis in angulis labiorum perbreuib. Pupilla oculorum nigra, ambitu candicante. *Maculae* a capite caudam versus per media utrinque latera nigricantes, rotundae, magnae proportionem, circiter decem, singulae deinceps digerun-

tur: et similiter per medium dorsum. Cauda etiam maculosa est, et dorsi pinna. Vesica bifida, magna proportionem. Longus est plerumque quinque aut sex digitos. *Fel* habet subviride, caudam bifurcam. Os cum aperitur rotundum et veluti e praeputio se exerens, deorsum nutat. *Lapilli* in cerebro perexigui sunt. Haec ille.

Squammis tegitur parvis. Quamvis ab Aufonio, qui eum *Barbi jubas* aemulari cecinit, fluviatilibus accenseatur, in lacubus tamen quoque capitur. Degit in fundo et coeno, unde Fundulos quibusdam vocari etiam diximus. Vescitur musco vel alga, item arenulis, et hirudinibus minimis lacuum. Creditur cadavera hominum submersa depasce, unde nonnulli anthropophagum